



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos  
Distributa

**Illsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCCII. Continuatio ejusdem Argumenti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

## MEDITATIO CCCII.

*Continuatio ejusdem Argumenti.*

**PUNCTUM I.** *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis*  
*Isaias, dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem*  
*eorum longè est à me. Matth. 15. v. 7.* Putabant enim in  
 frequenti lotionè manuum, & munditiâ externâ,  
 aliisque observantijs consistere Honorem, & Cultum  
 DEO debitum; nec tamen verebantur, prætextu Re-  
 ligious erga DEUM, iniquis oblationum sibi facien-  
 darum exactiõibus cogere filios, ad necessariam  
 sustentationem pauperibus Parentibus denegandam.  
 Sic DEVM labijs tantùm honorant, qui in veste Reli-  
 giosa, externa Observantia regulari, operibus Pæni-  
 tentiæ corporalibus, & alijs externis, putant confi-  
 sere Perfectionem Religiosam; interea tamen desti-  
 tuti sunt Intentionis puritate, Devotionis fervore,  
 proprij judicij ac voluntatis Abnegatione, passio-  
 num internarum Mortificatione &c.

**PUNCT. II.** *Non quod intrat in os, coinquinat homi-*  
*nem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem &c.*  
*Matth. v. 11. De corde enim exeunt cogitationes mala &c.*  
*v. 19. Quidquid enim non est peccatum, hominem*  
*non coinquinat: quidquid verò hominem coinqui-*  
*nat, ex corde procedit, nempe ex consensu propriæ*  
*voluntatis. Ideo Omni custodia serva cor tuum: quia ex*  
*ipso Vita procedit. Prov. 4. v. 23. Qui diligit cordis mundi-*  
*tiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Re-*  
*gem. Prov. 22. v. 11. Nempe tunc rectè labijs hono-*  
*ratur DEVS, id est, per Opera bona externa, quando*  
*ea procedunt ex mundo corde; quia Non est speciosa*  
*laus in ore peccatoris. Eccl. 15. v. 9.*

PUNCT.

PUNCT. III. *Tunc accedentes Discipuli, dixerunt Scis, quia Pharisei audito verbo hoc scandalizati sunt.* Ille respondens, ait: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus Caelestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum; cæcus autem, si cæco ducatum præbet, ambo in foveam cadunt.* Matth. 15. v. 13. Itaque quæ judicia humana, quando non sunt conformia Divinae Regulæ, sed sicut Zizania in bono semine, à Deo improbantur, minimè curanda sunt; ideo tunc necessarium non est, ut sit scandalum, nec offensa hominum, nec sinistri sermones, nec quidquam aliud timendum est. Sic Paulus dixit 1. Cor. 4. v. 3. *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer.* Et ad Gal. 1. v. 10. *Si adhuc hominibus placere Christi Servus non essem.*

## MEDITATIO CCCIII.

*Filia Mulieris Syrophænissæ à demonio liberatur.* Matth. 15. v. 21. Marc. 7. v. 24.

PUNCTUM I. *Et egressus inde (ex Galilæa, ut decerneret iras, & odia Scribarum, & Phariseorum, propter præcedentem Doctrinam concepta) Secessit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chanaanæ (Nomen quòd fuerit ex Cana Galilææ, sed quòd fuerit ortum à illis posteris Chanaan, qui habitabant in Phœnicia Syriæ, ubi erant urbes Tyrus & Sidon, ideoque S. Marco c. 7. v. 26. dicitur Syrophænissa genere) finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Miserere mei Domine, Fili David.* Matth. 15. v. 21. *At illa venit, & adoravit eum, dicens: Domine adjuva me.* v. 25. *Ecce mulier ista*